

A Verbo *suiendi* & *concupiscendi* nihil aliud significat, quàm ardentem illum, quo laborabat, videndi sanctuarium Domini affectum, de quo supra in alijs Psalmis, vt 42. &c. Per *animam* autem & *carnem*, meo sensu, exprimit totum hominem, non solum mentem suam, sed ipsum quoq; externum hominem, ad tabernaculum Dei gestire ostendens.

Deus Deus meus es tu.]1. Hanc vocem fundamenti loco omnium eorum quæ subijciat, præmittit. Omnis enim ad Deum respectus, suspirij, contemplationis, meditationis, inuocationis & consolationis vnica ratio est pijs, quòd Deus, Deus illorum est. Ideo subdit: *Ad te vigilo, ad te fuit anima mea.*

Mane ad te vigilo.]2. Exemplum animi pij in tribulatione cõstituti. Commune quidem est omnium ad afflictorum, nõ dormire in altum diem, sed pro animorum suorum afflictione mane euigilare. Verum ad Deum vigilare, piorum, tantum est euigilant & alij ad afflictum mane, sed ad suas curas, ad sua ipsorum consilia: aut si quid aliud est, in quo vel fugiendo vel acquirendo solliciti tenentur.

Sicut ad te anima mea, concupiscit te caro mea.]3. Cùm esset in solitudine quæ prorsus omni cibi ac potus recreatione destituta erat, horrida ac siticulosa, vnde absq; dubio plurimam famis ac sitis, ac reliquorum quæ corpori sunt necessaria, molestiam sentiebat: de eo tamen nihil conqueritur, sed animam sitim, & eam famem, quæ ad Deum tendebat, commemorat Ergo vehementior est sitis anime ad Deum, quàm corporis ad potum. Corporis molestiam patienter ferebat: de anime verò æstu, quo totus erga Deum flagrabat, velut impatiens conqueritur.

Sic quasi in sanctuario contemplant te.]4. Duo notanda sunt hoc loco. Primum est quod sit sanctorum in tabernaculo Domini exercitium, contemplatio scilicet Dei. Illi dat tria, *fortitudinem* videlicet *gloriam*, & *bonitatem* Dei. Ista sunt in Deo fidelibus animis studiosè ac pia mente contemplanda. Plurimum enim horum contemplatio ad alendam & corroborandam fidem, animiq; ad afflictum molestiam excutiendam & consolandam facit. Quid *potentiam* vocet, notum est. *Gloriam* Dei vocat in æstimabiles diuitias Dei, copiosissimum omnium bonorum fontem, splendorem illum opulentiae ac maiestatis, cælum ac terram adimplentem & illustrantem: *bonitatem* verò, gratiam, fauorem ac beneuolentiam singularem. Ad horum contemplationem in Ecclesia Dei seruit vsus & ministerium verbi ac sacramentorum. Imagines quicquid huc faciant, periculosè faciunt: vnde non placuit Deo, vt horum sit vsus populo sanctorum. Alterum est, quòd Dauid in solitudine constitutus, eadem vtitur Dei contemplatione, qua vteretur si esset in tabernaculo Dei. Nihil ergo impedit sanctorum animos à contemplatione Dei, locorum differentia. Daniel in cubiculo, Christus in monte ac solitudine, Paulus in carcere, Petrus in editiore domus parte precati, & divina contemplatione vsi sunt. Et Christus iussit precaturos ingredi cubile, &c. Matth. 6. Hoc verò nõ ita dixerim, vt contemnedi sint Ecclesiastici conuentus. Absit. Exemplum hoc Dauidis diuersum suadet. Maluisset enim ille utiq; in ipso Dei sacrario de Deo contemplari, quàm in solitudine, si per Saulis improbitatem ac violentiam licuisset.

Quoniam melior est bonitas tua quàm vita.]5. Iterum licet simul potentiae, gloriae ac bonitatis Dei recorderetur, singulari tamen suauitate bonitatis illius mentione facit: quod & in præcedenti Psalmo, versu vlt. vidimus. Extollit hoc elogio bonitatem Dei super omnia, quæ in cælo & quæ in terra, dū vitæ eam præfert: significans, sibi nec possibile nec iucundum esse præter illam viuere. Omnium enim quæ à Deo sunt condita præclarissima est vita. Tolle hanc, & quid proderunt cælum ac terra, & quicquid in illis suspiciendum est? Attamen illi bonitatem Dei præfert: ista si fuerit, quid nocent omnia tristitia? quid ipsa mors, qualis & quantacunq;? Vnde Apostolus Rom. 8. Neq; mors, neq; vita, neq; præsentia, neq; futura, &c. poterunt nos separare à charitate Dei. Hinc scilicet est, quòd sancti maluerunt vitam ponere quocunq; modo, quàm bonitate & gratia Dei priuari. Optio datur Susannæ. Verum malebat perdere vitam, non acquiescendo nebulonibus ad nequitiam, quàm acquiescendo, amittere bonitatis ac gratiae Dei consolationem: & omnium prudentissimè, à bonitate Dei namq; vita nostra pendet, non bonitas Dei à nostra vita. Neq; enim conseruari, imò ne acquiri quidem potest sine bonitate Dei. Per illam autè & amissa, quod ad corpus attinet (nam alioqui electis secundum spiritum non amittitur) multò melior quàm erat antea recuperabitur, & in sempiternum possidebitur. Cùm ergo tanti momenti sit bonitas Dei, vt sine illa nihil sit vita nostra, & per illum omnia possidere liceat, amissaq; vita recuperari: quid quæso terrena illi præferimus? Modicæ pecuniæ gratia, gratiam Dei perdimus. Ergò nobis melior est pecunia quàm gratia Dei: vt principis alicuius gratiam obtineamus, gratiam ac bonitatem Dei contempnimus. An principis gratia melior est bonitate Dei? Potestne ad regem aliquem aut Imperatorem dici: Bonitas tua melior est quàm vita? Prudentesne sumus, cùm et si non ore, corde tamen & opere dicimus: Bonus sit rex, irascatur Deus? An bonitas regis salus est, cõseruatio & reparatio vitæ nostræ? Quæ est ista infania? Irascente Deo, quid proderit gratia regis cuiuscunq;? Contempnenda igitur gratia regis: Nequaquam, vt nec vita nostra contempnenda est, præferenda autem bonitati Dei non est.

1. His versibus de laude & ardenti diuini nominis inuocatione quædam notanda sunt. Primum in eo, quod vers. 3. & 4. postquam dixit: *Quoniam melior est bonitas tua quàm sit vita*, in laudem Dei prorumpit, dicens: *Labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea.* Deinde & precandi quoq; fiduciam attingens, dicit: *Et in nomine tuo*: id est, fiducia nominis tui, *leuabo manus meas* (est autem manus ad Deum leuare, precem ad Deum fundere, opemque illius implorare.) Admonemur, vnde animi nostri potissimum ad laudem Dei & inuocationem nominis eius permoueantur, videlicet ex contemplatione bonitatis illius. Licet enim potentia & gloria Dei digna sint, & ad salutem nostram necessaria, animos tamen nostros illæ tantopere ad laudem Dei non accendunt, nec fiduciam inuocandi illum addunt, nisi accedat certa bonitatis illius contemplatio: quæ vnica est afflictorum

Vers. 1.

Vers. 2.

Rom. 11.

Vers. 3.

Dan. 13.

Illud, in omni
ni vita mea,
id est, est a q;
Per omne vi
tam meam, do
nec vixero.